Ldm

NEGOTIATIO SPIRITUALIS

SEU

XXX. INDUSTRIÆ

Per ordinaria piarum actionum exercitia plurimùm augendi merita

Ex tertio Opusculo

Ven. P. CASPARIS DRUZBICKI S. J.

In Compendium redactæ,

ET

DD. SODALIBUS

MAJORIS CONGREGATIONIS Academicæ Dilinganæ in Xenium oblatæ.

ANNO M DCC. XXXVIII.

Cum Facultate Superiorum.

D I L I N G Æ.

FORMIS BENCARDIANIS.

MARIANIS DD. SODALIBUS

Salutem à MARIA sempiternam.

EXigit præsens libellus manus, oculósque eorum, qui non tantùm æternæ saluti suæ in tuto collocandæ sunt attenti, sed etiam profectûs spiritualis, altioris in cœlesti gloria sedis occupandæ, Deóque, ac SS. ejus Matri toto corde serviendi percupidi: tales opto, & spero, omnes albo Mariano inscriptos DD. Sodales, quibus hoc opusculum pro xenio, pronissimo affectu, offero, dedicóque. Authorem habet Ascesis insignem Magistrum, P. Casparem Druzbicki S. J. Sacerdotem, qualem se editis 17. Opusculis ante annos aliquot Ingolstadii in duobus voluminibus impressis probavit, & vitâ sanctissimè acta, prælúmque publicum merita expressit.

Titulum hic Author ei fecit Negotiationis Spiritualis, jure ſanè optimo: ſi enim in ſæcularibus negotiis boni oeconomi, & rei familiaris augendæ ſtudioſi nomen, laudémque promeretur, qui ſimplici labore, ac operâ ſuâ duplicatam refert mercedem, & ex elocata pecunia lucrum multiplex; an non in foro ſpirituali, juſſu aut hortatu Servatoris noſtri *Luc.* 19. negotiari utiliter dicetur, qui per bona opera ſua, ac ſpirituales actiones in dies, & hebdomades ſive ex præſcripto legis, aut ſuperioris, ſive vi ſtatûs ſui, & officii, ſive ex devotione ultrò ſuſcepta obitas duplicatum imò centuplicatum gratiæ, ac gloriæ augmentum lucratur? qui unicus præſentis opuſculi finis eſt, & labor, oſtendendo utiliſſimas ſanè praxes, quibus Divinæ Majeſtati integrè perfectéque ſervire, in via perfectionis Chriſtianæ in dies promovere, ac ingentes meritorum theſauros colligere poſſitis. Non tamen licuit opuſculum integrum, ac ipſis Authoris verbis deſcriptum mittere, tum quia mole ſua excederet formam, qua ſuperioribus annis ejusmodi pia xenia offerri conſueverant, aut etiam juſtis ex cauſis poterant, tum quia, cùm utilitatem hîc ſpectem omnium veſtrûm, ac ſingulorum, illa, quæ Author pro ſolis Religioſam perfectionem profeſſis ſcripſerat, ad captum, & praxin communem videbantur accomodanda, ac quodammodo mitiganda. Quod ſi quis etiam

in hac forma nimis multa, aut exsecutionis pro hominibus curis sæcularibua, aut litterariis laboribus immersis perarduæ præscribi putet, meminerit, quemadmodum in cæteris artibus, ita pariter in perfectionis schola, varias designari praxes, non quòd omnes simul, & semel exercendæ sint omnibus, sed ut seligere quisque possit, quæ conditioni, captui, & viribus ma is viderit congrua, aut etiam incipiendo à levioribus, & facilioribus successu temporis ad perfectiora progrediatur. Itaque laborem hunc meum bene consulite, ac tenue munusculum vestræ utilitati unicè dicatum, benignè suscipite, si non placiturum legentibus, certè profuturum, ubi in praxin redigitur. Ita voveo

Dominationum Vestrarum

Servus humillimus

PRÆSES.

Induſtria I.

Actiones ſuo quæque tempore ordinatè obeundæ.

1. PRima itaque induſtria in ordinanda vita, ſeu actionibus ſuo quibusque tempore obeundis collocanda eſt. Non opus hic eſt multa Ordinis Commendatione, ſcatent libri. Sufficit dicere, ordinem eſſe animam actionum, ut proin ſicut corpora ſine animabus, ita res ſine ordine nihil habeant pretii, aut utilitatis. Multorum devotulorum error hic eſt, ex naturæ impetu agere. Hodie boni quid agunt, quia ad id inclinari ſe ſentiunt, cras illud intermittunt, quia evanuit deſiderium. Unâ die plus, alterâ minus faciunt, quàm deceat. Ita nihil proficiunt. Ordo itaque in actionibus noſtris ſervandus eſt, ſi laudabiliter, & meritoriè vivere cupimus.

2. Actiones, quas ordo moderari debet, in duplici claſſe ſunt: aliæ, quas exigit conditio, vel ratio ſtatûs, quem quis tenet: aliæ, quas quilibet pro uſu ſuo, & libera electione præſcribit. Sic, ſi Religioſus es, aliæ ſunt actiones Religionis, ſeu ad quas certo tempore obeundas illa omnes ſuos clientes obligat, ùt certâ horâ ſurgere, ora-

tioni

tioni mentali, examinandæ conſcientiæ vacare, adeſſe choro, ad ſtudia incumbere, corpus reficere &c. aliæ Religioſi, ùt quas preces matutinas velis dicere, quomodo ſtudiorum tempus dividere, quantùm ſcriptioni, quantùm lectioni, quantùm privatæ orationi velis dare, in tuo arbitrio eſt, non enim tam minutim præſcribere, & particularem ordinem exigere vult, aut poteſt Religio. Ita pariter animarum curæ deputatus Sacerdos officii ſui ratione tenetur ad parandas con iones, formandas Catecheſes, dicendas publicè vel privatim horas Canonicas, viſitandos ægrotos &c. at definire ipſe poteſt, quot, & quales dies, vel horas huic vel illi ex præſcriptis actionibus velit in ſummere. Ita, qui negotiis ſui Principis, aut domini occupatus eſt, aut regendæ familiæ, curandæ oeconomiæ vel ſuæ, vel communitatis habet fixas occupationes in dandis, vel accipiendis conſiliis, admittendis ad alloquium ſubditis, explendis juſſis ſuperiorum, componendis rationibus, viſitandâ familiâ, educatione liberorum &c. At per ſe liberum ipſi eſt, qua ratione, quo vel quanto tempore hanc, vel illam officii partem velit explere. ſic denique eorum, qui adhuc in curriculo ſtudiorum ſunt, occupatio fere unica, & neceſſaria eſt, ut his ſe totos conſecrent: at cætera pleraque libera, ùt quantum temporis dare velint lectioni, ſcriptioni, repeti-

tioni, ſcriptis Profeſſoris legendis, huic, vel illi authori, quantum devotioni privatæ, uſui Sacramentorum, relaxationi animi &c.

3. Circa prioris generis actiones firmandum propoſitum eſt, nunquam ex deſidia, amore proprio, vel in aliorum, quos non oportet, gratiam, aut levioris mali metu eas omittendi, aut de tempore ex præſcripto iis impendendo detrahendi, aut ordinem invertendi. Circa poſteriores formandus ordo quidam diurnus, qui nobis indicet tempus, quo actio quæque obeunda, quantúmque temporis ſit tribuendum: ùt quâ horâ ſurgendum, audiendum, vel dicendum ſacrum, recitandæ horæ Canonicæ, dicendum roſarium vel officium Marianum, prandendum, decumbendum, quantum concedendum ſtudiis, quantum curis oeconomicis, quantum ſomno, quantum relaxationi animi. Quis ordo ſervandus diebus profeſtis, ipſis feſtis, diebus recreationum &c. Ab hoc deinde non facilè recedendum, niſi aliud neceſſitas, obedientia, charitas, utilitas publica, aut alia rationabilis cauſa exigat.

4 Fructus ex ſervato tali ordine emanabit multiplex: hoc enim modo evitabitur Confuſio, & tœdium, ex quibus plerumque oritur otium, & incertitudo illius, quod agendum eſt. Deinde conſtabit cuique animæ ſuæ ratio: nec erit in diſquiſitione conſcientiæ difficultas. Semper ferveſcet ſpiritus, aut

certè

certè facilè innovabitur. Denique ipsa in tuendo ordine constantia, & in superandis, quæ in observatione occurrunt, difficultatibus sui victoria non possunt non plurimùm merita augere.

Industria II.

Modus, & regula unicuique operi assignanda, & in exsecutione servanda.

5. ÆTernæ gloriæ mensura è vitæ nostræ sanctitate dependet, & hæc è quotidianis operibus ritè obitis: nam cùm vita nostra aliud non sit, quàm series dierum sibi succedentium, vitam suam bene & sanctè vivere dicendus est, qui quemlibet diem piè, ac Christianè transigit; & optimè diem, qui singulas ejus actiones ritè persolvit. Ut igitur quotidiana hæc opera debitè obeantur, modum quemdam in iis stabiliter servandum præsens suadet industria. Per hunc intelliguntur observationes quædam, ac veluti regulæ cuilibet operi competentes, quarum diligenti custodiâ opera nostra fiant non tantùm bona, sed etiam perfecta, ornata, meritis fæcunda, atque adeo Divino gustui perquam accepta.

6. Dividi hæ observationes possunt in substantiales, & in accessorias, Substantiales

quodammodo sunt, quas vel ipsa naturâ occupationis exigit, vel Superioris legitimi authoritas præscribit, vel ad rationem meriti necessariò requiruntur. Sic e. g. ut administratio Sacramenti vel ejus susceptio fiat legitimè, validè, ac meritoriè, natura actionis requirit reverentiam, attentionem, intentionem, puritatem conscientiæ: modum & ritum præscribunt Canones, ritualia Diœcesana, aliquando Religiosis constitutiones ordinis, consuetudines monasterii: litterarum alumnis ac Sodalibus leges Academicæ vel Marianæ. Et has exactè servandas esse, admoneri non debemus, cùm sine piaculo omitti non posse, ipsa convincat ratio.

7. Accidentales, & accessoriæ sunt, quas sponte nostra, & ex speciali devotione nobis ipsis statuimus, consistúntque in quibusdam actibus virtutum, piis affectibus, externis devotionis exercitiis &c his enim modis supererogatoriis maximè exornantur actiones nostræ, fiunt pretiosiores DEO, nobísque magis fructuosæ. Itaque Sodalis profectûs sui spiritualis perstudiosus talem modum, certósque observationes sibi imposterum statuat pro actionibus suis notabilioribus, & majoris momenti: nempe dum è lecto surgit, vestes induit, manè orationem vocalem aut mentalem peragit, dum Missæ sacrificium dicit vel audit, dum recitat horas canonicas, dum cibum capit, cubitum concedit, dum

prodit

prodit visitatum, ambulatum, juvandum proximum, administrandum Sacramentum, vel suscipiendum, dum studet, negotiatur &c. Pariter expediet imperare sibi modum, praxes virtutum, devotionis exercitia ad rite celebranda festa per annum majora, ùt tempus Adventûs, Quadragesimæ, Festum Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, Corporis Christi: nec non Festa B. V. M. ac aliorum Patronorum.

8. Si quis quærat, quænam sint illæ praxes, aut quæ suadendæ observationes, respondeo, in specie eas assignare non esse præsentis instituti, suppeditatura eas exempla SS. vitásque eorum conscriptas: vix enim ullus erit, qui hac industria ad altiores perfectionis gradus non sit enixus. Deinde non desunt libri, qui varias ejusmodi praxes piè obeundi statas ac quotidianas actiones ex instituto, & ad longum docent: uti pro Religiosis P. Jacobus Alvarez, pro Clericis Abellius, pro Sodalibus Marianis libellus Sodalitatis P. Costeri & plures alii, pro Sæcularibus P. Causini dies Christianus &c ex quibus quilibet pro se ea seliget, quæ statui suo, conditioni, officio, occupationibus magis congruunt, aut Spiritûs S. unctio interna suggesserit, ita ut facilè, fructuosè & cum gustu ac solatio observare eas possit.

9 Forsitan aliquibus devotioni magis deditis, & assuetis non displicebit modus, quem

Andreas Capella pius ſcriptor in quodam ſuo opuſculo hac de materia præſcribit, & 6. punctis complexus eſt Primò, cuilibet actioni præmittit certas quasdam ſententias ex SS. litteris depromptas, eíque actioni accomodatas. Secundò, ſubjungit materiam brevis conſiderationis etiam actioni congruæ. Tertiò, addit gratiarum actionem. Quartò, anſam erubeſcendi, & demiſſionis. Quintò, continet petitionem. Sextò, Denique oblationem. Addam ex Authore exemplum unum de modo tenendo, dum veſtimur.

10. Itaque *ſententiæ S. Script.* Induimini JEſum Chriſtum. Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. *Rom.* 13. Qui vicerit, induetur veſtibus albis. *Apoc.* 3. *Conſideratio* Conſidera, quòd per peccatum ſimus ſubjecti frigori, & aliis injuriis: & Chriſtus pro peccatis noſtris nudus in cruce mortuus ſit. *Gratiarum actio.* Age DEO grates, qui providit nobis veſtimenta contra frigus, & nuditatem animæ tuæ veſte gratiæ veſtivit. *Confuſio.* Erubeſce nuditatem animæ tuæ, cùm veſtem innocentiæ in baptiſmo acceptam toties laceráris, & abjeceris. *Petitio.* Pete à DEO, ut dignetur iterum hanc animæ veſtem reparare, & apparatu virtutum nuditatem tuam tegere, ut anima congruè ornata poſſit ſe dignè Divino conſpectui ſiſtere. *Oblatio.* Offer te Domino ad perfectam ejus

amore

amore paupertatem, nuditatem, ac ipſam denique mortem tolerandam.

Induſtria III.

Per partes aſſueſcendum his obſervationibus.

11. UT facilior, & expeditior fiat ſuperioris induſtriæ praxis, neque, ùt videri poſſet, nimis laborioſa, ac multiplicatæ reflexionis cum defatigatione capitis, aliarúmque potentiarum, ſervire poterunt quoad ipſum exercitium ſequentes regulæ. Prima, ne nimis multæ ſibi imperentur, ſed illæ ſolùm, quas ſine magna difficultate ſervaturum ſe quisque ſperat. præſtat paucas diu, & perpetuò adhibere, quàm multas aliquamdiu tantùm, & poſtea deficere, atque nec illas, imò nullas poſſe, aut velle obſervare.

12. Secunda, ut obſervationes ejusdem generis, & ſpeciei vel omnibus, vel ſaltem pluribus actionibus accommodentur Sic enim uno quaſi, eodémque labore, dum iis utimur in una actione, aſſueſcemus iisdem etiam in cæteris. e.g. eadem intentionis renovatio aſſignetur, dum manè ſurgimus, dum oramus, dum ordimur ſtudia, dum negotia &c.

13. Tertia, ut non ſimul, & ſemel præfigamus

gamus omnibus actionibus observationes ejusmodi, aut præfixas in praxin deducere studeamus; sed successivè, & per partes. Sic e. g. statuatur initio modus in posterum observandus in primis tribus diei actionibus: ùt dum surgimus, vestimur, manè oramus: & circa hunc observandum per duas, tres, vel quatuor hebdomades occupemur: ubi his assueverimus, âssummamus tres alias e. g. auditionem sacri, recitationem officii, initium studiorum. Ubi etiam hæ nobis fuerint factæ familiares, transeamus ad reliquas. Hæc ratio si teneatur, nulla defatigatio inferetur viribus: nunquam enim major urgebit labor, quàm qui fuit ad primas tres actiones; à prioribus enim jam assuetis non fiet passio.

14. Quarta, ut non omnibus actionibus nostris etiam minutis quibusvis tales observationes imponantur, sed tantùm gravioribus & notabilioribus. Sic namque fiet, ut vitetur multitudo, continuatio, labor, defatigatio: econtra actiones nostræ obeantur prudenter & perfectè, observationes usurpentur suaviter, & discretè.

15. Quinta, ut non simus observationum nobis impositarum servi, & mancipia, aut nimis severi, & soliciti exactores, aut si earum aliquas omitti aliquando contingat, nimis scrupulosi; sed potiùs agamus in spiritu libertatis. Expedit quandoque, ut, si in aliqui-

aliquibus notabiliorem ſentimus difficultatem, & exinde tædium, vel etiam ex earum neglectu remorſum conſcientiæ velut de transgreſſione legis alicujus, aut obligationis, vel etiam, ſi ob exactiorem obſervantiam nos invadit vana complacentia, & ſpiritus ſuperbiæ, ſtudio intermittamus, aut mutemus in alias. Idem remedium erit ad renovandum, & augendum noſtrum fervorem, ſi ex nimia, & diuturna jam conſuetudine, & praxi notemus faſtidium, aut etiam perfectiorem alium modum doceamur.

16. Sexta denique, ut ſingulariter caveamus, ne ob laborem & conatum, quem ad actiones his obſervationibus exornandas adhibemus, quidquam intermittamus, aut negligentiùs obeamus eorum, quæ aut obedientia, aut officii ratio, aut natura actionis, aut diſcretio, & prudentia exigit. e. g. ne propter has obſervationes ſubtrahatur quidquam neceſſario tempori, aut applicationi ad ſtudia, negotia, meditationi, attentioni ad orationem vocalem &c. Hoc enim non eſſet proficere, ſed deficere, & inveniretur in ſacrificio noſtro voluntas propria, aut objici poſſet, quod Chriſtus Phariſæis: *Quare transgredimini mandatum DEI propter traditionem veſtram.* Matth. 15. & illud:

Hæc oportuit facere, & illa non omittere.

Indu-

Induſtria IV.

Intentio actionum ad plures fines dirigenda.

17. EA eſt Divinæ Mentis liberalitas, ut etiam voluntates noſtras, & intentiones præmietur: ea ſimul actionum noſtrarum ratio, ut ad multiplices fines ſibi non adverſantes ſint applicabiles, atque adeo multiplicatos pariter meritorum fructus gignere nobis poſſint. Sic qualibet bona actione, aut moleſtia patienter tolerata poſſumus primò laudare DEUM, atque exaltare. Secundò, eundem imitari. Tertiò, gratias eidem agere. Quartò, immolare nos, & totos ei conſecrare. Quintò, mereri bona tam ſpiritualia, quàm temporalia. Sextò, impetrare eadem etiam aliis. Septimò, ſatisfacere, aut ſatispati pro delictis noſtris, vel etiam proximi. Rurſus poſſumus absque diſpendio finium enumeratorum etiam laudare Chriſti humanitatem, Beatiſſimam Virginem, Sanctos vel in particulari, vel univerſim omnes, imitari eosdem, gratias illis agere, ornare actiones per eorum merita, gratias, interceſſiones, atque ita reddere efficaciores ad impetrandum, ſatisfaciendum, magis acceptas Divinæ Majeſtati.

18. Ex his facilè concludemus, quantas utilitates ex qualibet noſtra actione haurire poſſimus, & viciſſim quanto fructu nos privemus, ſi, ùt plurimùm fit, unica ſimplici intentione ſimus contenti. Sanè plerique rem magnam præſtitiſſe ſe credunt, ſi opus aliquod bonum. v. g. jejunium ſabbatinum per intentionem elicitam ad honorandam DEIparam, vel ad impetrandam felicem mortem; aut ſi dolorem corporis, vel animi afflictionem DEO offerunt in ſatisfactionem ſuorum peccatorum, cùm tamen poſſent unico hoc jejunio, aut actu pœnitentiæ, ùt dictum eſt, laudare DEUM, imitari Chriſtum jejunantem in eremo, honorare ejus paſſionem, expiare delicta, ſatispati pro animabus in purgatorio, impetrare diverſas gratias nobis, & proximo, intendere ad aquirendum habitum temperantiæ &c. Igitur utiliſſimum nobis, & DEO glorioſiſſimum erit, ſi ad initium diei, vel etiam deinceps per diem inchoando actiones majoris momenti opera noſtra omnia ad plures ejusmodi fines dirigamus offerentes Divinæ Majeſtati. Paradigma praxis poſſet eſſe

19. *Per omnes, & ſingulas actiones, & paſſiones hujus diei volo laudare, dignificare, adorare, amare, & revereri SS Trinitatem, DEUM Patrem, Filium, & Spiritum S. JEſum Chriſtum DEUM, & Dominum Redemptorem meum. Pretioſiſ-*

tiosissimam DEI parentem Virginem MARIAM, SS. omnes Angelos & homines, ac nominatim N. & N. Volo imitari perfectissimè omnibus, & in omnibus SS. Trinitatem, JEsum Christum præcipuè pro me passum, contemptum, pretiosissimam ejus Parentem, Sanctos omnes. Volo agere gratias SS. Trinitati, ex cujus gratia: JEsu Christo, ex cujus merito, SS. Virgini, Sanctísque omnibus, ex quorum precibus ista facio, ac patior. Volo mihi mereri gratiam sanctificantem, gloriam, & vitam æternam, remissionem peccatorum, & pænarum, quas merui, totum id, quod Divina voluntas vult, augmentum charitatis, & virtutum omnium, benedictionem in officiis, ac necessitatibus meis. Volo impetrare mihi, & amicis N. N. gratias actuales, frequentes, efficaces, finales: gratiam sanctificantem, gratias proficiendi heroicè in omni sanctitate statui propria: auxilia in consiliis, necessitatibus, officiis: temporalium sufficientiam: præservationem à malis animæ & corporis: perseverantiam in bono finalem. Volo impetrare Ecclesiæ DEI conservationem, & pacem, propagationem & incrementum, vigilantiam Pastorum, exterminium scandalorum. Volo satisfacere, & satispati pro peccatis meis, & pœnis eorum: pro peccatis & pœnis amicorum

corum carne, & ſpiritu: alienorum, Superiorum, & ſubditorum: pro animabus in purgatorio. Volo omnes, & ſingulas, & me per omnes, ac ſingulas ſacrificium, & Holocauſtum DEO facere. Omnia ex voluntate mea deliberata, omnia pro hoc, & pro omni reliquo vitæ meæ, mortiſque momento, omnia ad guſtum, & gloriam voluntatis DEI æternæ. In unione ſanctiſſimæ JEſu Chriſti in mundo converſationis: nec non pretioſiſſimæ ejus Parentis, & Sanctorum omnium.

Induſtria V.

Actiones ex motivo plurium ſimul virtutum ſunt obeundæ.

20. PRæter eam, quæ modò expoſita eſt, alia ſuppetit ratio, noſtros virtutum actus ad varios fines applicandi, & per eam applicationem fæcundandi. Nempe ſi per quamlibet earum non unius ſimplicis virtutis, ſed multarum ſimul imò plurimarum exercitium intendamus. Geminum inde capiemus emolumentum ſpirituale: nam & pedetentim earum virtutum habitus per frequentatum quaſi uſum nobis implantabimus, &, quod ex hoc ingens & multiplex neceſſariò excreſcit meritum, facili opera conſequemur.

quemur. Si enim quilibet virtutis actus ex simplici etiam, & nativo sibi motivo elicitus magnam in cœlo mercedem lucratur, quis inficiari ausit, toties ejusdem multiplicandum meritum, quot virtutum distinctarum actibus ipse correspondet? Et sicut haud dubiè graviorem pœnam, & culpam incurreret, qui percuteret proximum suum vindictæ studio, & simul expresse ex ejus odio, imò odio in DEUM, cujus imago est, simul ex odio Religionis Catholicæ, quam profitetur: quàm qui ex ira tantùm, ita DEO magis placebit; meritúmque proprium augebit, qui suam per actionem illi placendi voluntatem multiplicato virtutis motivo palam facit.

21. Fieri hoc potest vel simpliciter sola intentione voluntatis & directione actûs in finem, & motivum plurium virtutum distinctarum, nullos exercendo proprios illarum actus: e. g. dicendo: volo orare ex fiducia in DEUM, & charitate, obedientia, patientia, humilitate &c. vel quod melius, quamvis etiam laboriosius, actum suum offerre cum actuali interno exercitio illarum virtutum, quarum motivo ad agendum impellimur. Ut: volo orare ex spe in DEUM, qui unus potest, & vult dare media necessaria ad salutem, ex charitate, quia diligo DEUM infinitum bonum, ex obedientia, quam debeo Ecclesiæ Magistræ Veritatis, charitate proximi, utpote Divino sanguine redem-

redempti &c. præ omnibus tamen ex motivo conformandi voluntatem meam cum Divina. Et hoc motivum esse debet cujuslibet actûs nostri boni, quia ejus intentio est intentio virtutum omnium, ejus possessio, omnium possessio, ejus perfectio, perfectio omnium. Plenius aliquod exemplum potest esse sequens:

22. *Dignissime DEUS, volo ab hoc tempore deinceps omnia facere eo motivo, eóque modo, quo tu vis, & quia tu vis, ea fieri à te, & à me propter omnium mandatorum, consiliorum, & beneplacitorum tuorum impletionem, propter virtutum omnium Theologicarum, & Moralium, supernaturalium, donorúmque & fructuum Spiritûs S. in omni congruo mihi gradu assecutionem, exercitationem, & incrementum, propter gratiæ, gloriæq; tuæ in me confirmationem, propter totius mundi auxilium, propter omnium Sanctorum, omnium Angelorum, pretiosissimæ Parentis, JEsu Christi, tuum verò SS. Trinitas, unus DEUS imprimis honorem, & imitationem, super omnia verò propter omnimodam tui gustûs recreationem, adorandæ voluntatis executionem, summæ Bonitatis dilectionem, eminentissimæ Dignitatis exaltationem, mei denique universalem annihilationem, quia hæc est volun-*

voluntas dignitatis tuæ, & dignitas voluntatis tuæ. Amen.

23. Illud obſervandum, quòd licèt in genere omnes actiones ſimul offerantur, facilè tamen poteſt ad ſingulas in particulari accomodari, & ſimiliter licèt loquatur de motivo virtutum omnium in genere, poſſunt interſeri nomina, & motiva earum, quas in ſpecie exercere cupimus. Quodſi ſemel vel iterum in die oblatio hæc facta fuit, opus non erit totam formam ſæpiùs cum defatigatione aut temporis jactura repetere: ſufficiet, cùm novam actionem ordimur, eam ratam habere dicendo e. g. offero tibi DEUS modo, quo ſuprà.

Induſtria VI.

Uſus potentiarum animæ, & Corporis, quibus in actionibus occupamur, DEO explicitè offerendus.

24. AD ſingulas actiones formandas neceſſariò applicamus non unam ſimplicem animi, aut corporis potentiam, ſed ſi ad id attendere volumus, multis, imò plurimis nobis opus eſt: exemplo patebit unico. Dicuntur horæ Canonicæ, vel Officium Marianum; unica videtur actio, & tamen multa membra occupat.

Nam

Nam oculi legunt, aures attendunt ad pronuntiationem, manus tenent librum, paginas versant digiti, pedes vel genua sustentant corpus, lingua format voces, sonum os addit, fiunt juxta rubricas inclinationes, genuflexiones, intercedit respiratio suspiraratio &c. multa suggerit memoria, juvat phantasia, occupatur intellectus attentione interna, pios affectus interponit voluntas, & sic de aliis minutioribus.

25. Cùm igitur has omnes facultates totas quantas, & quidem creberrimè sibi consecratas optet, qui eas concessit, DEUS, imò si malè vel otiosè impendimus, ratio de illis danda nobis sit, & pœna timenda, an non decet, & spirituali nostro lucro maximè expedit, ut non tantùm actionem universim e. g. recitationem breviarii, sed expressiùs, & enucleatiùs omnes motus, & applicationes potentiarum Divinis honoribus offeramus, & consecremus? præit exemplo Psaltes Regius, qui *Psal.* 102. ad dicendas DEI laudes se animans exclamat: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.* Item *Psalm.* 34. *Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi.* En paradigma huic ipsi orationi vocali applicatum.

26. *DEUS. cujus immensam Majestatem adorat omnis Ecclesia Sanctorum, offero tibi has Ecclesiæ tuæ sanctæ preces à me*

me indigno hodierna die recitandas. Offero omnes earum affectus & sensus à Spiritu sancto, & ab Ecclesia sponsa tua intentos, atque hîc depositos. Offero omnia earum puncta, commata, sententias, verba, litteras. Offero omnes motus linguæ meæ & manuum mearum, omnes ictus oculorum, omnes respirationes, omnes cogitationes & affectiones animæ meæ, omnes mei totius commotiones in hac præsenti oratione intercursuras. Accepta ergò hoc tributum servitutis meæ, tu, qui es Dominus meus, Rex meus, DEUS meus: méque mancipium tuum naturale & voluntarium Spiritu tuo S. & gratia abundanti purifica, confirma, sanctifica, ut tibi servitium meum in sanctitate, & justitia & perseverantia semper exhibere valeam: qui in Trinitate perfecta vivis, & regnas unus DEUS in sæcula benedictus.

AMEN.

Indu-

Industria VII.

Aliarum etiam creaturarum nobis ad servitium Divinum cooperantium actiones DEO sunt consecrandæ.

27. PRæcedenti industriæ similis est præsens, quæ docet, ut non tantùm omnium potentiarum nobis propriarum operationes & motus offeramus, sed etiam omnia obsequia, adeóque omnes actiones omnium potentiarum, quibus reliquæ creaturæ sive ratione præditæ illæ sint, sive omni sensu destitutæ, ad bene, & pro DEO operandum nos adjuvant, tanquam proprias DEO consecremus. Potest, ut exemplis utar, Ecclesiam ad fundendas preces adiens, laudare DEUM, illi gratias agere, orare nomine omnium SS. Angelorum, qui ibi præsentes Divinæ assistunt Majestati: nomine omnium, qui Ecclesiam illam ædificârunt, dotârunt, ornaverunt, qui suis sumptibus, laboribus, cantu reddiderunt pretiosiorem: nomine cæterorum orantium, suóque exemplo se ad Divinas laudes animantium. Potest, qui studet, laudare DEUM nomine authoris, cujus librum legit, vel eorum, qui impresserunt, emerunt, custodiêrunt. Potest inter comedendum laudari

DEUS, ac benedici nomine omnium creaturarum, ex quibus percipitur naturæ subsidium, delectatio, satietas: in labore nomine creaturarum, quæ juvant, trahunt, portant, præbent instrumenta. Potest itinerans laudare DEUM nomine aëris, quem trahit, solis, à quo calesit, terræ, quæ portat, arborum, quæ inumbrant &c.

28. Geminum inde hauriemus emolumentum. Nam imprimis miris modis multiplicabimus merita nostra: si enim actus noster unicus, quo DEUM Authorem nostrum laudamus, ingens gloriæ pondus in nobis operatur, quid promerebimur toties multiplicatis latriæ actibus, quot creaturarum actibus nomine earum Divinas laudes promimus, ac per ferventem intentionem nobis quasi proprias reddimus?

29. Deinde assuescemus ex omni creatura, omnibúsque earum obsequiis elevando in DEUM animo, ac illum laudandi desumendo materiam: fuit hoc semper omnibus perfectionis studiosis familiare, ab omnibus Asceseos Magistris, ac potissimùm D. Ignatio commendatum, ac naturali nostræ obligationi omninò conforme. si enim omnes creaturæ continua operatione homini præstant famulitium, & obsequiis suis ad laudandum Creatorem excitant, animant, juvant, illíque velut instrumenta ad hunc solum finem creata cooperantur, cur solus homo à fine

fine suo nempe laude, timore, amore, servitio Divino deficiat, aut unquam cesset? cur earum, quæ percipit obsequia alium in finem, aut proprium totum commodum detorqueat? cur præsentis in creaturis DEI sui possit oblivisci, cur illius cooperantis cum creaturis ad hominis commoda innumeris beneficiis ad amandum laudandum, serviendúmque non excitetur?

Industria VIII.

Intendendus actionum fervor rationalis proportione primùm arithmetica.

30. NIhil magis valorem operum nostrorum, & per ea merendi efficaciam impedit, quàm tepiditas, & ignavia: nam quantumcunque ex genere suo, & natura nobile opus sit, eximium, & sublime, tamen nisi cum fervore agatur, Divino obtutui placere nequaquam potest. cùm enim DEUS purissimus actus sit, etiam à creaturis suis eos actus desiderat, qui puro actui sint simillimi: à quibus proin abesse debet non tantùm omnis positiva impuritas, sed etiam remissio fervoris seu activitatis, cum qua purus dici non potest.

31. Quare quicunque negotiationis spiritualis sive majoris meriti & gloriæ cupidus

est, & in hoc bonorum genere avarus, curet in omnibus fervorem, ejúsque majorem intensionem. Memor semper illius gnomonis ascetici: *Unus actus intensus prævalet mille aliis remissis.* Et cùm nullus terrenis bonis inhians horreret subire aliquem laborem, quo posset obtinere lucrum tantum, quantum ex mille aliis, cur non est eadem accuratio in negotiis animæ? præsertim cùm in actu remisso ordinariè plus molestiæ, laboris, fatigationis animi & Corporis, jacturæque etiam temporis patiamur, quàm operando intensè: hujus ratio est, quia actus remissi plerumque fiunt ex tepida, gravi, reluctante voluntate, & ideo cum molestia, tædióque, imò nec sine animi malè de pigritia sua sibi conscii remorsu. Cùm ex opposito actus intensè fervidi animam testimonio conscientiæ exhilarent, spe præmii recreent, laborem, molestiásque sentiri non sinant, magísque ad majores labores animent, perinde ùt mercatores magnis lucris obtentis ad alia majora quærenda accenduntur.

32. Sumitur autem hic fervor pro alacritate, vigilantia, accuratione, & applicatione animi in operando, quæ si crescant, & augeantur, intensio fervoris appellantur. Et est duplex, alius sensibilis; rationalis alter. Prior sensu corporeo percipitur, dum nempe operando incalescit cor, inflammatur caput, intenditur pectus, dilatantur venæ, senti-

ſentitúrque proin in capite, pectore, nervis. Sed hic ad ritè operandum neceſſarius prorſus non eſt: & ſiquidem ex fervore interiori ultrò ſequitur, eúmque comitatur, admittendus eſt, ſed violente non quærendus, imò etiam præſens moderandus; quia poteſt, & ſolet incautis valetudinem lædere, hebetare caput, venam pectoris rumpere, ac proin hîc non commendatur. Alter rationalis reſidet non in parte ſenſibili, ſed potentia ſpirituali, ſcilicet intellectu & voluntate, & eſt, ùt dictum, alacritas, vivacitas, vigilantia, diligens, applicatáque cura animi ad agendum. Provenit ab appretiatione & æſtimatione tum ipſius operis, tum finis, propter quem fit operatio, tum virtutis, cujus is actus eſt, tum præmii æterni, cui inhiamus, tum Chriſti Domini, quem ſequimur. Hæc appretiatio, quantò major eſt, tantò etiam intenſior erit affectio voluntatis: & inde operatio diligentior, ferventior, indefeſſa, ſempérque novis incrementis auctior. Et hæc demum intenſio virtutum omnium vita eſt, operum omnium pretium, meritorum ſeges, gratiæ illicium.

33. Fervoris intenſio in conſuetis noſtris virtutum actionibus exerceri quandoque ſolo voluntatis rationalis imperio, conatu, atque intentione poteſt, prout docet, & ſuadet præſens induſtria. Uti e. g. ſi quis actum charitatis durantem per 20. inſtantia, vel toti dem

tidem diſtinctos per eadem 20 inſtantia velit elicere, poteſt voluntas intendere, ut ſecundus actus (vel duratio ejus in ſecundo inſtanti) ſit intenſior quam primus, & tertius, quàm ſecundus, & ſic deinceps alius, atque alius juxta numerum inſtantium priori major atque intenſior, ita ut ultimo inſtanti elicitus vigeſies ſit intenſior quàm elicitus in primo. Præmittendo hanc vel ſimilem intentionem: *Domine DEUS offero tibi hanc actionem, & omnes ejus partes viginti* (vel ſi quis vult 50. 100. 1000. &c.) *intendo facere cum majori intenſione amoris tui, fidei &c.*

34. Simili modo: prodit aliquis foras ad opus charitatis, obedientiæ, boni publici &c. Poteſt ſingulos paſſus, quos faciet, majore & intenſiore affectu DEO offerre. Poteſt in oratione breviarii, vel Roſarii intendere, ut ſinguli Pſalmi, ſalutationes Angelicæ, verba; imò litteræ majori fervore & ſtudio placendi DEO proferantur. Poteſt, qui patitur morbum vel adverſitatem propter DEUM, optare, ut per ſingula, quibus patitur, inſtantia patientia ſua ſit majus & majus teſtimonium charitatis in DEUM, & animi ſe ejus, Sanctiſſimæ Voluntati conformantis. Denique poſſunt manè, vel ad initium hebdomadis omnes motus animi, & temporis inſtantia juxta explicatam proportionem Divinæ Majeſtati offerri.

Indu-

Induſtria IX.

Imò etiam Geometricâ.

35. HActenus de intenſione fervoris ſecundùm proportionem Arimethicam, ùt cum ſcholis loquamur, actum eſt, ſeu illam, in qua plures res ſe invicem ſucceſſivè excedunt partibus, & gradibus æqualibus uni certæ. Præſens induſtria docet modum intendendi actus virtutum, & conſequenter in immenſum quaſi augendi per piam intentionem & affectum merita eorum proportione etiam Geometrica, ſive illa, qua ſe plures res excedunt partibus inæqualibus, proportionem tamen aliquam inter ſe habentibus. Ut in exemplo ſi dupla proportione unus numerus ſuperet alterum, 4 ſupra 2 addent alia 2. 8 Supra 4 alia 4. &c. Potéſtque variari, atque augeri hæc proportio plusquam imaginatio hominis capere poteſt. Non enim dupla tantùm proportione ſed tripla, decupla, centenaria, millenaria exceſſus unius per intentionem formari poteſt.

36. His poſitis, & applicatis iis, quæ ſuperiori induſtria explicata ſunt, opus tantùm videtur, exemplis aliquot praxin hujus exercitii proponere. Poſſet igitur prudens negotiator

gotiator recitaturus e.g. rosarium unamquamque salutationem ea intentione pronuntiare, ut quælibet præcedentem superet in dupla proportione charitate in Beatissimam Virginem; vel, ut superet in tripla, vel centenaria, vel ut quælibet alteram superet tot numeris, quota numero ipsa dicta est. Item potest Sacerdos recitans horas Canonicas, vel missam dicens velle proferre voculas singulas vel syllabas cum majori & majori fervore milliésque millies majori proportione intensioris charitatis usque ad litterulam vel syllabam ultimam. Idem potest facere concionator circa singula, quæ dicit, verba: studiosus circa constructiones, quas legit: ambulans circa singulos passus: laborans circa singulos motus brachiorum, singulos anhelitus, respirationes &c. Possent denique orationes non tantùm dividi in Psalmos, verba, sed etiam in momenta, & atomos temporis, & quamlibet atomum cupere, optare, offerre cum millies millies majori proportione charitatis in DEUM, vel alterius cujusvis virtutis.

37. Ex quibus liquidò patet, quantùm quis unico actu virtutis per exercitium hujus & prioris industriæ augere merita possit apud liberalissimum DEUM, qui etiam pias affectiones nostras ubique præmiatur, quantùm vicissim lucrum amittat, qui nullo hujusmodi studio afficitur. Nempe licèt voluntas no-

ſtra facere non poſſit, ut actus, quos imperat cæteris potentiis, tanti valeant, quantùm ipſa velit eos valere: non enim ſi velit currere, quantùm ſol properat, vel intelligere, quantùm Angelus, curſus corporis tam velox eſt, aut intellectio tam perſpicax: tamen in propriis ſuis actibus quantùm velle vult, tantùm utique vult, quia imperium volendi, eſt ipſa volitio. Et quantùm vult amare, tantùm amat, quótque gradibus amoris vult ſtringere, tantùm jam ſtringit.

Induſtria X.

Actiones ad excellentiam heroicam perducendæ.

38. Singularis induſtria creſcendi in meritis, cœleſtésque theſauros comparandi eſt, aliquas ex actionibus quotidianis ſeligere, quas heroicè, in gradu eximio, intenſo, defæcato ab omni intentionis impuritate eliciamus. Præſtat ſanè pauca facere ingenti hoc fervore charitatis, & æſtimationis DEI, quàm multa tumultuariè, indeliberatè, feſtinè, præcipitanter, hoc tantùm curando, & attendendo, ut fiant. Præſtat e. g. unam orationem Dominicam recitare devotè, meditatò, attentè, intensè, quàm totum roſarium decurrere feſtinanter, irreveren-

verente animo, vagabundo &c. quia actus heroicus unicus plus meretur, plus impetrat, plus satisfacit, plus passionum & concupiscentiæ repugnantiam infringit, plus retundit diaboli conatus, plus habitûs ingenerat, plus facilitatis, fiduciæ, generositatis suppeditat, quàm mille alii remissi. Imò ex unico pendebat, sumebátque exordium omnis perfectio non unius, quos inter Sanctos nobis imitandos proponit Ecclesia.

39. Ejusmodi actus heroici sunt triplicis generis. Aliquando ex solo objecto, quando nempe tale opus apud omnes est arduæ exsecutionis, ùt condonatio injuriæ, opus charitatis inimico exhibitæ, humilis deprecatio datæ offensæ, vel scandali, magna data eleemosyna, servitium spirituale aut corporale exhibitum lue epidemica infectis &c. Aliquando ex solo subjecto, quando ex se opus non adeò difficile, sed tamen perarduum operanti ob specialem naturæ suæ reluctantiam, & passionis obsistentis vehementiam, dum quis aggreditur vel omittit, ad quod natura vehementer inclinat. Sed de his hîc non agitur, cùm præsentis opusculi finis sit ostendere praxes per quotidianis actiones ritè obitas spiritualiter ditescendi.

40. Tertio igitur modo actus heroicus est ex solo conatu, quando actio quædam aliàs ex præcepto, vel laudabili consuetudine obeunda toto animi, & cæterarum potentiarum

cona-

conatu secundùm omnem, quem requirit, & admittit, perfectionem peragitur. Hac praxi uti si quis velit, assumat aliquam ejusmodi actionem e. g. Sacrum, quod legit, vel audit &c. ejus materiam bene consideret, ut perspectos habeat defectus, qui in opere intercurrere possunt, vel ipse solet admittere, & vicissim omnem perfectionem, quam ea exigit, scilicet, qua intentionis puritate, qúa externa corporis compositione & modestia, qua DEI præsentis reverentia, qua interna attentione, animíque collectione, quo fervore charitatis, qua constantia inter occurrentes evagationes, tentationes, stimulos acediæ, respectus humanos, quàm exacta observantia rituum præscriptorum obeunda illa sit. Talem actionem in hac perfectione obire illa die manè proponat, atque suo tempore reipsa obeat, denique peractam DEO offerat. Hunc modum operandi continuet per hebdomades aliquot. ubi assueverit, convertat propositum tale,& industriam ad aliam actionem: & sanè præter ingens meritum ingenerabit sibi habitum ritè, perfectéque operandi. in quo omnis perfectio, vitæque sanctitas sita est.

41. Eadem planè ratio est, quamcunque virtutem, qua quis magis indiget, animo suo implantandi. Nempe si quis in dies singulos aliquem ejus actum seligat, atque toto interno animi conatu eum eliciat, vel etiam

externo, sed cum omni requisita perfectione, puritate intentionis, evitata omni desidia, & negligentia. Ita enim fiet (præsertim si actus ille sit heroicus, & arduus ex objecto, vel subjecto) ut brevi tempore ex perfectis ejusmodi actionibus habitum quoque acquirat, plúsque proficiat, quàm per plures alios remissos, tenues, desidiosos, imperfectos.

Industria XI.

Actiones sint superiores habitibus suis.

42. Actionum nostrarum aliquæ fiunt sine habitu, aliæ ex habitu. Sine habitu; cum incipimus studium alicujus virtutis: ex habitu, quando per repetitos actus consuetudine agendi jam contracta cum hac agimus. Jam ex habitu operari possumus, ut operemur quandoque infra habitum, quandoque secundùm habitum, aliàs etiam supra habitum. Infra habitum operamur, quando consuetudinis auxilio ad operandum quidem utimur, sed non adhibemus eum totum conatum, cum quo ope illius habitûs possemus operari. Secundùm habitum operamur, quando nostro conatu vires & latitudinem illius consuetudinis

dinis æquamus. Denique supra habitum agimus, quando conatu nostro facultatem, habitúmque excedimus.

43. Agere ex habitu, & infra, vel etiam secundùm habitum, laudabile omninò est; at non adeo arduum, & heroicum, aut ab omni socordiæ labe defæcatum. Itaque, ut majora sint merita, & opera nostra perfecta, summáque Majestate digna, docet præsens industria, ut conemur actus virtutum non ex habitu tantùm, & consuetudine facere, sed supra habitum: hoc est, majori conatu, ac intensione, quàm sit illa, quam sentimus, ab acquisito habitu suppeditari.

Industria XII.

Actiones nostræ sublimandæ in meritis JESU Christi, & SS. ejus Matris.

44. CUm pretiosius nihil habeat Ecclesia nostra, quo DEO placere, eúmque demereri possit, quàm JEsum Christum Redemptorem nostrum, ejúsque pretiosissimam Genitricem, hinc singularis, commendatissima, ac omnibus sacris negogotiatoribus familiarissima praxis est, ut quidquid tandem agant, id totum JESU Christi, humanitati, conversationi in terris,

actionibus, meritis, & gratiæ uniant, unicúmque DEO offerant, vel per manus ejusdem Redemptoris benedictum, Sanguine aspersum, actionibus Theandricis sigillatum conspectui Sanctissimæ Trinitatis præsentari petant.

45. Diversæ in hoc Sanctorum, & devotorum praxes sunt, & nobis exemplo esse possunt, quod imitemur. Aliqui enim omnes actiones suas & adversitates SS. Vulneribus, præcipuè Lateris immittunt, atque immergunt. alii ex Divino sanguine balneum construunt, in quo animam suam, & omnes ejus operationes quotidie lavant, & sic in sanguine Agni dealbant stolas suas. Alii opera sua sacratissimo Cordi velut furno Alchimistico immittunt, ut scoriâ omnis impuritatis amissâ ac veluti inaurata Divino conspectui offerantur: atque per propriorum operum cum meritis Christi adunationem implere se credunt Divinum præceptum, quod monet, ut maneamus in Christo, palmites simus Divinæ Vitis, membra Christi, & de ejus corpore vitam, robur, & spiritum hauriamus.

46. Quæ de Christo Domino allata sunt, eadem de pretiosissima ejus Parente Virgine MARIA dicta putemus: etiam per ejus merita ornari opera nostra non absque ingenti utilitate possunt, imò debent, quia est voluntas ejus, qui sicut nos omnia habere voluit

luit per MARIAM, teste Bern. ita etiam omnia nostra sibi offerri per Sanctissimas ejus manus cupit. Plura suggeret affectus pro amoris magnitudine, quo quisque in sanctissimas has Personas fertur. Quare juverit manè hac vel simili formulâ uti

47. *In manus tuas, Domine JESU, & in tuas Mater purissima commendo omnia opera mea: hoc præsens opus meum, illúdque utriusque vestrûm manibus, & toti in mundo conversationi unio, ornandúmque, & Sanctissimæ Trinitati offerendum trado.* Vel hac aliâ interdiu: *Omnes actus meos mi JESU in vita, vulneribus, & corde tuo depono, ut in eo detenti sublimentur, & sic dignè Sanctissimæ Trinitati, tuis, & pretiosissimæ Parentis manibus offerantur. &c.*

Industria XIII.

Propria sibi reddenda sunt bona spiritualia aliena, præcipuè Christi, & Sanctorum.

48. INgens sanè cumulandi divitias compendium est, si quis non tantùm per laborem, & negotiationem propriam lucretur, sed etiam ex alienâ operâ lucrum capiat. Tale quid docet, & exigit præsens indu-

industria, ostendendo modum, quo homo ex aliorum etiam bonis, & sanctis actionibus fructum ferre spiritualem, atque per eas quasi proprias augere sua merita valeat. Fiet hoc citra omne nefas: ita namque omnium Author DEUS suas condidit creaturas, ut inter eas sit quædam connexio, atque Communicatio, quin & indigentia mutua, adeò, ut bonum unius sit bonum omnium, & bonum omnium sit bonum cujusque particularis. Et adhuc major est communicatio illa, qua Ecclesiæ membra inter se uniuntur, ùt fides nos docet, ita ut non tantùm qui pro æterna vita adhuc certamus, arcto fœdere conjungamur, sed etiam de triumphantium meritis participemus.

49. Præcipua tamen ratione, & jure maximo propria nobis reddere nos posse videtur infinitum thesaurum meritorum Christi: tum quia caput humani generis, de quo cætera omnia membra participant, tum quia eum nobis Divinus Pater donavit. Et quidni cum ipso omnia? *Rom.* 8. Quod planè suavissimæ meditationis materiam præbet, præcipuè si quis Mysteria Sacrificii, Sacramenti, & Passionis contempletur. Ut adeò omnia Christi, sint nostra, nos toti Christi, Christus DEI.

50. Ergo negotiator spiritualis familiare sibi faciat hoc exercitium reddendi sibi proprias justitias alienas, & per eas quasi à se

elicitas

elicitas laudandi & glorificandi DEI, offerendíque in satisfactionem, gratiarum actionem &c. Hac vel simili forma. *DEUS, cui soli humana corda loquuntur, & qui solus gratis salvare nos vis, potes, soles, debes. Ego N. paupercula creatura tua omnium tuarum quarumcunque, imprimis autem rationalium creaturarum usque ad Sanctissimam Virginem Matrem MARIAM, usque ad Sacrosanctam JESU Christi humanitatem procedendo, omnes in genere, specie, numero tibi quocunque modo placitas, aut in omnem æternitatem placituras actiones, passiones, potentias, entitates, perfectiones mihi nunc ex dono gratiæ tuæ, ex beneplacito voluntatis tuæ voluntariè & deliberatè assummo, approprio, atque ad purum, & nudum gustum dignissimæ suavitatis tuæ offero: illísque meas etiam pauperculas actiones, passiones, ac entitates omnes conjungo: & tam pro hoc præsenti momento, quàm pro tota vita mea reliqua, quàm pro mortis articulo, quàm denique pro toto æternitatis decursu illas omnes cum hoc appropriationis actu habere intendo. tuæq; summæ Majestati, quantùm digna est, substerno, substerneréque in æternum, & ultrà volo. Tibi DEO meo sit honor ab omni, & pro omni creatura, creaturæq; atomo in sæcula sæculorum. Amen.*

Indu-

Induſtria XIV.

Offerendæ DEO etiam actiones alioquin futuræ inutiles.

51. SImillima priori præſens induſtria eſt. Negari non poteſt plurimas actiones humanas tum ex ſe bonas, tum indifferentes dari, per quas nemo meretur, adeóque per ſe ad merendum inutiles. Tales ſunt actus Sanctorum in Patria eliciti de præſenti, præterito, & futuro, omnes actus hominum ex ſe & objecto boni, ſed per accidens mali: actus boni, qui obeuntur in ſtatu peccati mortalis: denique actus naturales, indifferentes, otioſi, nec in finem bonum, ac ſupernaturalem directi. Ex his omnibus vir ſpiritualis, ac bonus negotiator fructum capere poteſt reddendo ſibi quaſi proprios, ac eosdem ad finem ſupernaturalem charitatis, dignificationis, beneplaciti Divini ſublimando, ac dirigendo, una cum propriis pro ſe vel aliis Divinæ Majeſtati offerendo, conſecrando, ſupplendo, quod illis ad perfectionem ſuam, vímque meritoriam deeſt, denique charitatem ſuam, ac liberalitatem erga DEUM conteſtando. Praxis eſſe poſſet.

52. *Domine DEUS meus, qui omnia opera*

opera nostra operaris in nobis; operaris autem propter gloriam tuam, & propter bonum nostrum, neque quidquam in nobis otiosum esse vis: omnes actiones, omnésque passiones meas Angelorum, Beatorum, & omnium entium creatorum quocunque modo te Domino DEO nostro dignas, ipsis autem creaturis cæteroqui vel neglectas, vel inutiles, vel non necessarias; ego videns, & agnoscens paupertatem meam, & simul nusquam exulare cupiens gloriam tuam, utilitatémque nostram; has omnes tam meas, quàm omnium creaturarum actiones, atque passiones tibi DEO meo præsento, honori, gloriæq́ tuæ consecro, pro meo, & pro omnium creaturarum capacium bono temporali, & spirituali hujus & alterius vitæ offero, iísque omnes defectus meos, & earum quoscunque suppleri cupio, & intendo, in unione meritorum JESU Christi, Beatissimæ Virginis & omnium Sanctorum, ídque facio semel pro semper pro omni æternitatè, ad purum gustum tuum O SS. Trinitas DEUS meus.

AMEN.

Indu-

Induſtria XV.

Supplendus defectus creaturarum in laudando DEO.

53. EXtra omne dubium eſt, à creaturis, licèt omnes ad DEI gloriam promovendam conditæ ſint, plurima tamen negligi, & omitti, aut ſaltem non ea perfectione fieri, quam exigeret infinita DEI excellentia; illúdque debitum, quod omni creaturæ ad exaltandum Authorem ſuum incumbit. Provenit hic defectus non tantùm ex immenſitate præcellentiæ, ac perfectionis illius, cui ſerviendum eſt, vel generali improportione, & imbecillitate creatæ potentiæ ad laudandum bonum increatum, ſed etiam in plurimis ex omnimoda incapacitate naturæ, ùt in creaturis irrationalibus, infantibus, amentibus: aut ex impoſſibilitate ſtatûs, ùt in dæmonibus, & damnatis, aut ignorantia, inadvertentia, negligentia hominum cæteroquin capacium cum maximo ſanè detrimento gloriæ Divinæ.

54. Hinc verè & ardenter DEUM amans non poteſt non intimè cruciari, & ad ſupplendos hos defectus ſuccendi, tum ut DEUS ſaltem in aliqua creaturarum habeat, quoad fieri poteſt, plenam laudem ſuam, tum ut reliqua

reliqua cessantium turba saltem in aliqua parte totius suæ communitatis sive in aliquo individuo impendat Creatori laudem ea plenitudine, quam juxta creatæ suæ fragilitatis possibilitatem illi debet: præsertim cùm etiam cuique nostrûm stricta ad id incumbere obligatio videatur, nam cùm homo cæterarum creaturarum caput sit, eíque hæ perfectissimè subjectæ; ipse locò omnium perfectum DEO obsequium præstet, oportet: item, quia quisque cum omni creatura, ac præcipuè rationali vinculo charitatis, & mutua Communicatione est conjunctus, etiam bona creaturarum, sunt bona uniuscujusque, & damna earum damna uniuscujusque, debita earum, debita cujusque, culpæ ac negligentiæ earum, culpæ cujusque.

55. Gratias infinitas debemus imprimis sanctissimæ Christi humanitati: dein Beatissimæ ejus Parenti, ac reliquis Sanctis, quòd perfectissima vitæ ratione, ac plenis operibus etiam hanc tepiditatem nostram supple-verint, atque ita nos illorum quasi ore DEUM dignè laudare possimus. Sed & illorum exemplo incitari debemus, ut etiam nos locò cæterarum obligationi suæ non satisfacientium vel in genere, vel etiam in particulari alicujus, vel aliquarum DEUM laudando, amando, colendo, adorando, timendo, appretiando, imitando &c. Compensare, & supplere earum defectus conemur: Et vel

vel opera quædam ultrò in hujus compensationis finem suscipiamus, vel saltem quotidiana nostra, ac solita opera, ac præsertim tremendum Missæ Sacrificium ad hanc intentionem dirigamus. Serviet sequens forma

56. *Agnosco DEUS meus infinite, plurima in laude tua tibi à me, & ab omnibus creaturis debita deperire, malitiâ, ignorantiâ, fragilitate, imprudentiâ, defectuositate nostra. Cupio mi DEUS supplere, & reipsa, quoad possum, suppleo defectus istos omnes nostros amore tui, æstimatione, & dignificatione præsenti actuali, qua te DEUM nostrum amo, dignifico, cupio, laudo, adoro in quantum tu amari, dignificari adorari & concupisci potes, & nos te laudare, dignificare, adorare, & concupiscere possumus: secundum omne quod tibi debemus, possibiléque est nobis, & tu dignus es: ita ut tibi DEO meo, & nostro sit laus plena, sit gloria perfecta, sit exaltatio adæquata, ex nunc: & in æternum, semel pro semper, majori quàm unquam fervore, in unione Sanguinis, meritorum, conversationis JESU Christi, Beatissimæ Virginis, Beatorúmque omnium.*

AMEN.

Indu-

Industria XVI.

Communicandum cum creaturis, ac cum eis collaudandus DEUS.

57. UTilis & illa praxis est serviendi Deo, augendíque merita propria, quæ desumitur ex comunicatione cum reliquis creaturis. Quâ scilicet homo communicare intendit cum omni ente creato, ejúsque substantia, potentia & actione non peccaminosa, & se quasi in illam transformat, itáque transformatus omnium vice, cum omnibus, pro omnibus, omnes in se, & per se, & vicissim se in omnibus, & per omnes summo SS. Trinitatis amori, honori, cultui, æstimationi, resignationi, fruitioni consecrat, donat, dedicat, ac totum sacrificat, ferè in hunc modum.

58. *Mi DEUS, volo me omnem creaturam esse, omnem cujusvis creaturæ notitiam, potentiam amorem, passionem, affectum, circumstantiam, capacitatem, atomum, meam esse, & reipsa, quoad possum, plena voluntate, meam, & me illam, & illam vicissim me facio: omnésque illas in unum me complector, & sic me in omnibus, omnes in me, pro me, pro omnibus, in te summè plenum, plenè*

sum-

summum, omni modo tibi debitum, creaturæq́; possibilem amorem, cultum, dignificationem, voluntatis tuæ omnem gustum, atque expletionem per omnia momenta, per omnes naturæ, gratiæq́; ordines, & gradus exerceo, expendo, exhaurio, do, dono, dedico, offero, sacrifico pro omni æternitate in unione meritorum JESU Christi, Sanctissimæ ejus Matris, Sanctorúmque omnium. Amen.

Industria XVII.

Dilatanda, & extendenda sunt desideria per actus nostros placendi DEO ad plures actus & objecta.

59. EA est voluntatis humanæ in volendo, & desiderando felicitas, ut possit in immensum extendi, & dilatari, hujúsque extensionis conatus, quamvis versetur circa objecta viribus, vel etiam captu hominis superiora, & majora, nihilominus DEO gratus, & desideranti meritorius esse possit. Unde suadet præsens industria, ut ardens DEI amator, & profectûs sui in meritis & gratia perstudiosus actibus suis, & operibus justis jungat desideria placendi DEO extenta, & dilatata ad plures actus, ad plura, & plura objecta, eáque rursus aliter,

atque

atque aliter in infinitum, immensúmque multiplicata: nec non per omnia momenta, pérque omnes æternitates distenta, & repetita.

60. Clarior res fiet adductâ unâ, vel alterâ formulâ exercenda vel manè, & extendenda ad omnes actiones totius diei, vel ante actionem aliquam in particulari, vel etiam, ubi assueverimus ad conspectum, vel occursum cujuslibet creaturæ. Ingeniosus amor haud difficulter ad harum normam concipiet desideria longè ampliora, & ardentiora.

61. *SS. Trinitas DEUS meus, vellem in omnibus actionibus meis hujus diei (vel nominatim in ista determinata, oratione, labore, Sacrificio &c.) pérque omnia singuláque momenta vitæ meæ in te ferri digno te, tibíque debito amore toties, quoties ab intrinseco, vel extrinseco quælibet mobilia corporalia vel spiritualia mota sunt, moventur, movebuntúrque per omnem durationem suam, quoties, Domine, moventur folia, & rami in arboribus, herbæ, & gramina in campis, segetes in agris, animalia in terris, aëre, & aquis, vitalia in animalibus, guttæ aquarum in fluviis lacubus, mari, nubibus, sensationes in cognoscentibus, intellectiones & volitiones, in Angelis & hominibus &c. toties ego te pro me, & omnibus Creaturis, credo, spero, amo, adoro, timeo, de-*

 sidero,

ſidero, laudo, magnifico, gratias ago, ſummè ſummum bonum meum appeto, de omnibus bonis tuis tibi gratulor, gaudeo complaceo.

62. Altera. *JESU Creator, & Redemptor meus, omnibus illis actibus, affectibúsque, quos hoc die, vel horâ, vel quovis alio momento temporis præterito, præſenti, & futuro eliciunt, & elicient omnes homines & Angeli, omnes fideles ſervi tui, omnis triumphans, & militans Eccleſia, his, inquam, omnibus, ego viliſſimus terræ vermiculus, feror in te, & tibi placere cupio, gratulando eos tibi, offerendo, infinities volendo, & repetitos perfectiores, ac plures eſſe cupiendo, deſiderando infinities pluribus te amare, honorare, appretiare &c.*

Induſtria XVIII.

Obeunda opera bona præmiſſo quandoque voto.

63. RECEPTA inter Theologos ſententia eſt, per bona opera ex voto obita duplicatum Divinæ Majeſtati præſtari obſequium, duplicatum reportari meritum, quia præter honeſtatem intrinſecam, & actui illius virtutis propriam, aliam extrinſecam acci-

accipiunt ex honestate religionis, quæ emissionem voti præcipit: ea propter proderit, ut sincerus DEI famulus quandoque operibus suis consuetis sive internis, sive externis votum de illis obeundis præmittat.

64. Sed ne hæc industria non ritè intellecta, vel applicata locò spiritualis lucri, quod unicè intendit, in cujusquam damnum vergat, aut scrupulis, & anxietatibus occasionem præbeat, probè advertendum est, hîc non suaderi, ut emittantur vota in ordine ad opera diu, & crebrò à nobis, neque etiam ad opera tardè, & serò exequenda, multò minùs ad ea perpetuò præstanda, dicendo e. g. voveo, me nemini imposterum detracturum, vel etiam per totum hunc mensem. Vel: voveo jejunium sabbatinum in honorem B. V. &c. quæ utique essent laudabilia, magníque meriti, sed tamen etiam multis transgressionibus obnoxia, adeóque sine magna deliberatione, & consultatione minimè edenda. Id tantùm hîc agitur, ut quando ad opus bonum præstandum determinatus jam es, ad id te sub voto obliges: ut e. g. dum jam es in Ecclesia auditurus sacrum, vove DEO, quòd sis auditurus: vel in illum ipsum Sabbati diem, quo decrevisti jejunium, voto ad id te obliga: vel dum actu es in occasione loquendi contra proximum, vel curiosè circumspiciendi, vove, te hac vice linguam vel oculos refrænaturum. Quodsi contra quàm prævideras,

impedimentum aliquod aut difficultas emerserit, quo minus possis voto stare, hoc ipso illud te non obstringet, cùm pro illis circumstantiis non voveris, obligatio autem voti ultra intentionem promittentis se non extendat.

Industria XIX.

Ex operibus nostris sacrificium DEO parandum.

65. AD augendum valorem operum bonorum valet plurimùm nostri, vel ipsorum operum DEO in sacrificium oblatio. Quis enim nescit, ipsius Divini oraculi testimonio omnes DEI servos esse spirituales ac Mysticos Sacerdotes, qui bene sanctéque operando tot omnipotenti DEO hostias offerunt, quot actus virtutum perpetrant, quot adversa pro ejusdem amore tolerant. Ita 1. Petr. 2. *Sacerdotium sanctum offerre hostias acceptabiles DEO per JESUM Christum.*

66. Si quæris, in quo hæc ipsa sui sacrificatio propriè consistat; nihil breviùs, aut veriùs responderi potest, quàm solius, & veræ charitatis in DEUM negotium id esse. Hæc enim æstimat DEUM super omnia, & nos annihilat propter DEUM, & cum DEO,

&

& in DEO. Cúmque ſacrificii ratio in eo conſiſtat, ut res aliqua creata perdatur, & deſtruatur in honorem DEI, ùt ſupremi Domini, charitas ſincera & ardens ſpiritualiter nos nobismetipſis, & amori proprio mori facit: omnis enim verè amans non vivit ſibi, ſed DEO, nempe omnia opera faciendo in amore, ex amore, cum amore propter amorem DEI ſolius, & unius ſine ullo amore noſtri ſine ullo commodo, quantùm noſtrum eſt.

67. Igitur qui per opera ſua DEO perfectè ſervire, plúsque mereri cupit, immolet ſe hac ratione DEO, & quidquid tandem agat, aut patiatur, eum in finem tantùm agat, aut patiatur, ut ipſe quidem annihiletur, DEUS verò glorificetur, ipſe pereat, ut DEUS perennet, ſibi pereat, ut DEO vivat: ídque maximè, quia DEUS dignus eſt, huícque debentur omnia, & ipſe placet ſuper omnia, homini verò debetur nihil præter ſolùm nihil. Præcipua occaſio eſt in SS. Miſſæ Sacrificio, in quo dum Divinam hoſtiam æterno DEO vivo, & vero elevamus, aut elevari videmus, nos pariter cum illa jungamur & noſtri holocauſtum charitatis igne abſumendum faciamus. Idem fieri poteſt in operibus charitatis & zeli, toleratis adverſis, denique in omni opere ſpirituali, in quo periculum eſt, ne nos ipſos quæramus, aut vanâ gloriâ efferamur.

Induſtria XX.

Mortificatio externa operibus bonis jungenda eſt.

68. UT ſacrificium operum noſtrorum plenè perfectum ſit, non tantùm ab negatio ſui & annihilatio interna intercedat oportet, ſed conſultiſſimum erit, etiam externæ mortificationis aliquid ſingulis bonis operibus adjungere, atque ita hoſtiliter tractare carnem, & ſenſus tanquam perpetuum adverſarium ſuum: tum ut ulciſcamur in nobis offenſas DEI infinitè amati, tum ut atteramus vires carnis, & concupiſcentiæ toties contra ſpiritum rebellis, tum ut addamus plus efficaciæ ad merendum gratiam & gloriam, tum ad impetranda nobis, ac proximo multiplicia cœli munera, tum denique ut penitus mortificati acceptius Sacrificium fiamus Divino conſpectui in odorem ſuavitatis.

69. Qui ad hoc animo comparatus eſt, diſcutiat ſecum actiones bonas, quibus velit ſalem mortificationis, quem in omni oblatione requiſivit DEUS *Lev.* 2. aſpergere, deinde determinet modos & pœnarum ſpecies, quas velit in ſe ſuſcipere, nempe quid impoſterum tenendum in ſurgendo, veſtiendo, orando,

orando, prandendo, deambulando, ſtudendo, decumbendo &c. ſint illæ modicæ, diſcretæ, viribus, conditioni, laboribus ſuſcipientis proportionatæ: ſi non poſitivæ, quæ moleſtiam, dolorem aut afflictionem corporis inferunt, ùt continuata genuflexio inter orandum, elevatio manuum tempore hyemis, aliquantula extenſio brachiorum, diuturnior aut moleſtior ſtatio ad ſtudia, labores; ſeſſio, aut ſtatio ſine fulcro, tolerantia frigoris aut æſtûs &c. ſint ſaltem negativæ aut privativæ, ſive illæ, quæ commoda, mollia, delicata carni aut ſenſui ſubtrahunt, ut cibo inſulſo condimentum non aſpergere, in pruritu non fricare, non circumſpicere, non audire, non decerpere, non odorari ea, ad quæ ſenſus invitant, non diſtendere corpus, ſitum modeſtum in decumbendo tenere, non cedere ſomno intempeſtivo &c. non dicere quæ ad laudem propriam faciunt, non interrogare de curioſis &c. plura addere non libet ne plura exigere videar, quàm multorum conditio, aut corporis, ſeu potiùs animi imbecillitas ferat. Ferventibus plura ſuggeret Spiritûs S. quo animantur, unctio.

* * *

(o)

Induſtria XXI.

Ratihabenda bona opera præterita tam propria, quàm aliena.

70. ETiam ex præteritis actionibus, quas olim in DEI laudem, ac animæ ſalutem obeundas ſuſcepimus, fructum adhuc aliquem colligere poſſumus: nempe ratihabendo, denuò approbando, ſibíque complacendo (ut; que non vanâ complacentiâ, & ſuperbâ jactantiâ, quaſi propriis viribus facta eſſent, nos extollendo, aut aliis cum Phariſæis præponendo) pro iis gratias agendo, denuò offerendo &c. objectum eſſe poſſunt primò actus boni proprii, vel adverſa patienter tolerata, non tantùm ſecundùm ſubſtantiam, ſed etiam quoad circumſtantiarum omnium latitudinem, intenſionem, gradum. Secundò, omnes actus laudabiles, qui quomodolibet fiunt, aut facti ſunt ab aliqua creatura occaſione noſtri, quia profecerunt noſtra inſtitutione, educatione, exemplo, oratione, occaſione, dilectione, ſcriptione, laude &c.

71. Tertiò, non tantùm propria opera, ſed etiam aliena, uti actiones & paſſio Chriſti, virtutes & dolores Beatiſſimæ Virginis, Angelorum, Sanctorum, & hominum adhuc in

in terris degentium. Quartò, non tantùm actus boni & DEO placiti, sed etiam merè naturales, neque à nobis, vel aliis directi in finem supernaturalem, imò etiam, qui sunt, & fuerunt mali, boni tamen fieri potuissent, & debuissent, adeóque etiam peccata hominum, dæmonúmque sub ratione bonitatis entitativæ: omnia enim diligentibus DEUM cooperantur in bonum, si ratihabeamus quoad bonitatem naturalem, optemus, ut habuissent bonitatem etiam moralem, dirigamus adhuc, quantùm in nobis ad DEI honorem & gloriam, & ita directa denuò offeramus. Quintò, extendi potest industria etiam ad ratihabenda ipsa bona DEI, quatenus in DEO sunt, & quatenus ex DEO ad nos jugiter fluunt, & à nobis in Authorem refluunt. Addo brevem formam.

72. *Ratas habeo omnes actiones, & passiones meas, quocunque modo habitas, & quocunque modo bonas. Ratas etiam habeo easdem omnium omninò creaturarum incipiendo à Christo Domino ad ultimam usque atomum creatam. Ratas habeo in specie etiam illas, quæ sunt occasione mea aliquo modo in te DEUM exercitæ. Ratas habeo omnes communicationes tuas, per quas tu tibi in te Magne DEUS: & per quas nobis tu ex te Communicas perfectiones tuas, & omnia, quæ tu es, & sumus nos. Et hæc rata habeo in unione meritorum*

ritorum JESU Christi, Deiparæ, ac Sanctorum, majori quam unquam fervore spiritûs, milliésque millies majori proportione fervoris & charitatis, quia hæc est voluntas tua O SS. Trinitas. Amen.

Industria XXII.

Retractandæ vicissim malæ actiones propriæ, & alienæ.

73. QUod superiori industria propositum de fructu capiendo ex ratihabitione actionum bonarum, idipsum in præsenti faciendum suadetur per retractationem malarum, quæ à nobis olim commissæ sunt, & incessanter committuntur ab omnibus hominibus vivis & defunctis, pœnitentibus & damnatis, ipsis dæmonibus: namque etiam has prudens & sedulus negotiator in usum suum, meritúmque apud DEUM convertere poterit retractando, cupiendo non fieri, non factas esse, dolendo, quòd fiant, factæ, aut etiam futuræ sint, compatiendo iis, qui delinquunt, desiderando liberari à peccatis, & pœnis (si possibile esset) omnes peccatores ipsos damnatos, & dæmones, cupiendo impedire tantas injurias, & illas à DEO impediri.

74. Talis retractatio non potest non esse sum-

summi momenti, & meriti apud DEUM, quia si sincero animo fiat, procedit ab ingenti charitate DEI, & proximi, à zelo gloriæ Divinæ, ab amore justitiæ. Hoc zelo Christus arsit à primo momento conceptionis suæ, usque ad mortem, hoc inflammantur omnes Sancti in hac vita, & non solùm propria sed etiam aliena peccata deflent, atque impedire laborant. Hoc est tabescere zelo Domûs DEI, hoc comedi zelo DEI. *Psal.* 118.

75. Retractationis hujus materia & objectum esse possunt omnia peccata propria, & aliena, ùt dictum est, vel genericè considerata, vel in specie jam peccata propria, jam aliena, jam contra hoc, jam contra illud præceptum Divinum admissa. Jam commissa ab idololatris, hæreticis, veneficis, jam à Catholicis, jam commissa hoc tempore v. g. bacchanalium, jam hoc loco v. g. in patria &c. Tempus opportunum erit, quo de propriis peccatis examen, & dolorem instituimus, vel si audimus, vel legimus enorme quid, & scandalosum admissum, & in grave præjudicium Ecclesiæ & gloriæ Divinæ cessurum. Modus optimus erit, si retractationi accedat actio quædam satisfactoria, ùt est Sacrificium Missæ, vel opus pœnale externum, quod offerre possumus hac, vel simili formâ

76. *Dignissime DEUS, qui nos creaturas tuas in gloriam tuam creâsti, sed à nobis infinitis modis, ac malitiis quotidie offen-*

offenderis, doleo, quantum possum pro omnibus, & singulis peccatis, atque malitiis in te, primum quidem à me, deinde ab omni creatura alia commissis atque etiam committendis. Nolo, mi DEUS, nolo ullam malitiam à me, ab omníque creatura alia commissam esse, ac fore: eam ex nunc retracto, detestor, & execror: quia te DEUM dignissimum agnosco, amo, æstimo. Nolo te in æternum offendere, nolo te offensum esse, nolo offendi te à præterita, præsente, futura, viva, & damnata creatura. O quis det, ut te omnes laudent, & ut omnia mala ab eis commissa, & committenda non sint commissa, non sint committenda, sed potiùs ut omnia sint in laudem tuam quam maximam conversa. DEUS meus, vides voluntatem meam; vides, quòd cupiam, ut nihil sit in creaturis tuis malum coram oculis tuis. Cupio, & propono, quantum in me erit, impedire mala omnia. Offero tibi totam vitam JESU Christi, pretiosissimæ Matris, Sanctorum omnium: offero totum me cum omni capacitate mea ad resarciendam læsam malitiis nostris bonitatem tuam.

Offero tibi in particulari opus meum &c.

Indu-

Induſtria XXIII.

Uno actu voluntario plurium vices ſupplendæ ſunt.

77. QUod populo Iſraëlitico olim dictum eſt: *quodcunque calcaverit pes veſter, veſtrum erit. Deutr.* 11. æquali jure humanæ voluntati congruit: quocunque ſanè ſe ejus actus extendit, ſuum faciet in ordine ad augmentum gratiæ, & meriti. Quia teſte D. Auguſt. amor meus, pondus meum, quocunque feror, amore feror, pretium meum, voluntas mea. Hoc fundameuto nixa induſtria ſuadet, ut ardens voluntas, cùm cuperet e. g. in centum, & mille affectus ardentis charitatis erumpere, omnes autem ſucceſſivè, & explicitè ponere non poſſit vel ob humanam infirmitatem, vel quia homo tunc aliis negotiis, vel aliarum virtutum actibus occupatus eſt, & diſtentus, ut, inquam, eliciat unum aliquem ea intentione, & affectu, ut is vicem ſuppleat illorum centum, mille, aut millionum, quos eliceret, ſi poſſet. Pariter cùm genuflectere in ſignum ſubmiſſiſſimæ reverentiæ, quam debemus, & intendimus Divinæ nobis præſenti ſemper Majeſtati, non poſſimus ſingulis diei momentis, poterit quis mâne vel ad

initium operis genu flectere cum protestatione, quod hanc substituat, quantùm in se est, omnibus illis, quas in singula momenta, si posset, poneret; & sanè pretium, & meritum illo unico actu obtinebit, quod ex millenis illis actibus desideratis lucraretur.

78. Neque mirum cuiquam videri debet tantum virium voluntatis actibus & desideriis attribui: imprimis enim quis neget, si quis optaret unico actu blasphemare centies, vel imprecari proximo, quantum mali ferunt damnati omnes & diaboli, aut toties elicere intensos actus odii in DEUM, quoties expuerit, eum non simplicis blasphemiæ imprecationis, aut odii daturum pœnas, & multiplicatæ noxæ reum esse? & cur voluntas non sit tam fæcunda ad promerendum præmium, quàm prona est ad incurrendam pœnam? deinde si voluntas efficere possit, ut actus suus sit jam hujus virtutis, jam alterius speciei, vel plurium simul, eò quòd jam hujus, jam alterius, jam plurium diversarum motivo agat, cur non possit facere, ut idem actus æquivaleat pluribus quoad numerum? denique si per majorem deliberationem, intensiorem affectum, puriorem intentionem facere possit, ut actus sit majoris meriti: imò ut ex veniali peccato transeat in mortale, cur non etiam, ut idem tantùm mereatur, quantùm plures eorum.

79. Ne-

79. Neque etiam inde ſequitur, poſſe me unico actu adæquare ſanctitatem & merita Chriſti & SS. omnium, ſi nempe illo deſiderarem, tam perfectos & multiplicatos actus exercere, quot illi. Neque me infinita merita unico illo actu conſequi, quo optarem infinitos ponere. Neque eum, qui v. g. ad centum actus obligatus eſt, poſſe unico pro omnibus ſatisfacere, ſi unicus omnibus æquivalet. Nam imprimis valor actionis non dependet ex ſola intentione voluntatis, ſed maximè ex ejus fervore, intenſione, dignitate perſonæ operantis, in quibus utique Sancti nos plurimùm præcedunt. Deinde etſi unus ex tali ſubſtitutione æquivaleret centenis, per accidens longè majus meritum accedet per repetitos actus propter novam libertatem, novum conatum, continuatum fervorem &c. denique is, cui debentur centum actus, non neceſſariò contentus eſt valore æquivalenti. Sed centies repetitum actum exigere poteſt. Quod ſi autem creditor ſit ipſe DEUS, & fragilis creatura ſatisfacere non poſſit, quis ambiget, quin unico actu ex tali ſatisfaciendi intentione totum debitum expungat?

❦ (†) ❦

Indu-

Induſtria XXIV.

Operandum bene ſemel pro ſemper.

80. Conſuetudo inter homines invaluit, ut, dum aliquid vel docent, vel explicant, vel petunt, vel promittunt, vel præmonent, vel imperant, ſerium ac perſeverantem animum oſtenſuri, phraſi vernacula adjiciant, ſe hoc dicere, promittere, imperare, *ſemel pro ſemper.* Eodem modo, ut creatura ſe gerat erga DEUM agendo bene, & patiendo fortiter, monet præſens induſtria: *ſemel pro ſemper:* nempe operetur bene obfirmato propoſito, ab hoc modo operandi ſe deſtituram nunquam, atque ita extendat actum non tantùm ad plures actus, ſed etiam ad actuum tempora ſine termino, & non dubitet, quin plurimùm ſit meritura, ac Conſtantiâ ſuâ, ac perſeverandi obſtinatione liberaliſſimum Numen ad largiendum abundans præmium permotura.

81. Locus & uſus hujus induſtriæ præcipuè eſſe debet imprimis in actibus magis heroicis, & arduis, quales ſunt remiſſio injuriæ, opus charitatis inimico præſtitum, reſignatio animi & conformatio ſuæ cum Divinâ voluntatis in aliqua adverſitate graviori, exſecutio impoſiti à Superiore negotii difficilior,

lior, dolor de peccato commiſſo &c. in his enim non pro eo actu, vel inſtanti tantùm, quo fit condonatio, reſignatio, contritio, ſed pro omni prorſus tempore firmandus animus, nunquam retractanda voluntas. Deinde in illis, quæ ſpectant ad ſtatum, & conditionem cujusvis, ejúsque perfectionem. Sic ſemel pro ſemper nuncupantur vota Religioſa, promittitur obſervatio regularum. Sic ſemel pro ſemper Sodalis eligit MARIAM in Dominam, ac Patronam, proponit eam nunquam ſe derelicturum, conſtantem ſe fore in illius cultu, & obſervantia legum. Sic ſemel pro ſemper ſtatuendus zelus animarum ſacro Paſtori, tenor juſtitiæ in Judice, Advocato, negotiatore; educatio prolis, cura domeſticorum à Patrefam. Denique poſſumus etiam quaslibet, & uſitatiſſimas, atque aliunde debitas actiones intendere & offerre ad gloriam, guſtúmque Divinæ Majeſtatis, ad imitationem JESU Chriſti, ad impetrationem hujus gratiæ, in ſatisfactionem hujus delicti &c. juxta priores induſtrias ſemel pro ſemper niſi alia expreſſa intentio, vel prioris retractatio interceſſerit.

Indu-

Industria XXV.

Intendendum est voluntarium, deliberatio, electio, propositum in nostris actionibus.

82. INdubitatum dogma est, Theologicâ, imò naturali ratione firmatum, actui humano eò plus inesse bonitatis, aut malitiæ, quo plus habet de voluntario; ibi autem plus inveniri de voluntario, ubi præcedit major deliberatio, advertentia, electio, propositum. Ubi denique plus bonitatis moralis in actu, inde etiam plus meriti gratiæ & gloriæ enasci. Igitur qui his avariùs inhiat, hanc industriam in praxin deducat, nempe omnia bona sua opera obeat ex industria, electione, proposito, destinatione animi ex rationum in utramque partem ponderatione & discussione, ex intentiòne finis, mediorum delectu, ex prævia oratione, ex aliorum consilio, absque inadvertentia, præcipitantia, non quia lubet, quia assuevit, quia alios videt ita agere &c.

83. Inter præcipuas regulas, & Maximas politicæ Christianæ una hæc est, utpote quam Christus tam exactè nos docuit jam adductâ parabolâ hominis extruentis turrim & priùs computantis sumptus ad perficiendum necessarios,

ſarios, jam Regis, antequam hoſti bellum denuntiet, expendentis vires exercitûs tam proprii, quàm hoſtilis. Jam laudando ſervos ſuos non tantùm à fidelitate, ſed etiam prudentiâ: & ſponſas non tam à virginitate quàm prudentia, jam mittendo Apoſtolos ſimplicitate, & prudentiâ armatos. Denique juxta doctrinam Apoſtolicam omne obſequium noſtrum ſit rationabile. *Rom.* 12.

84. Rectiſſimè itaque faciet primò, qui non raro, quin quotidie, ſi Clericus, aut Religioſus ſit, unum ex conſuetis operibus præ oculis habet, de eo deliberat, qua perfectione, ſublimitate, quibus imperfectionibus vitatis, qua ſui victoria, quo aliorum fructu, in quem finem, in cujus ex Sanctis, & in qua virtute imitatione poſſit, & velit illud obire in eum diem & in poſterum. Secundò, qui meditationi aſſuetus & deditus, propoſita ſua ex illa oratione concepta dirigit & applicat non tantùm ad bona opera in genere, ſed etiam in ſpecie, quales virtutes in actionibus ordinariis hujus diei exercere velit. Tertiò, qui in examine conſcientiæ non tantùm diſpicit, quid bene vel malè per diem illum à ſe actum, ſed etiam, quomodo impoſterum actiones ſuæ inſtitui poſſint. Sic enim cum tempore perveniet ad magnam prudentiam, circumſpectionem, integritatem, & perfectionem actionum.

* * *

Indu-

Induſtria XXVI.

Superanda arduitas operis plenè & reflexè ſibi propoſita.

85. QUanto difficilius cum hoſte certamen, eò glorioſior eſt victoria: & quò ardua magis in actionibus virtutum cum concupiſcentiis noſtris lucta, eò major DEO gloria, & per conſequens majus meritum, & gloriæ ſempiternæ augmentum exſurgit: in his etenim actibus etiam reluctante paſſione DEO conſecratis major elucet ejus appretiatio, eíque adhæſio, major firmitas, & conſtantia voluntatis humanæ in bono, plenior amoris proprii mortificatio.

86. Quare, ſi quid fortè arduum pro DEO, ejúsque gloria ſuſcipiendum eſt, ſi in difficili objecto parendum DEI voluntati, aut gravius aliquid ejus amore tolerandum, veræ virtutis, & meriti ſtudioſus hac in re non ſe gerat, ùt faciunt potiones medicas, aut catapotia hauſturi, qui applicatis dulciariis, & odoramentis reluctantis ſtomachi nauſeam lenire conantur, ſed potiùs totam difficultatem in illo opere ſuperandam benè perpendat, omnes circumſtantias, quæ illam magìs exprimunt, phantaſiæ exactè, non diſſimu-

lanter

lanter proponat, sic sensuum & passionum reluctantiam magis irritet, & provocet, & nihilominus non obstante tota difficultate, & luctamine firmus in proposito persistat, suique victor ad actûs illius exercitium procedat. Præivit illustrissimo exemplo ipse Servator, dum in monte oliveti omnia tormentorum, ac ludibriorum genera, & acerbissimam mortem mandato Divini Patris pro salute nostra paulò pòst tolerandam tam vivacibus coloribus quasi jam præsentia sibi proposuit, ut gravissima illa etiam ad agoniam usque lucta sanguineum omninò sudorem expresserit.

87. Modus, & praxes hujus industriæ sunt obviæ. Primò, urgetur quis cupiditate avido oculo videndi objecta rara e. g. Personam Principem ibi locorum transeuntem, reditum exercitûs victoris, certamen cum bestiis, ludum scenicum, quam tamen sibi indulgere non vult studio victoriæ sui, proponat sibi simul, quæ de illius objecti elegantia, raritate, concursu aliorum, occasione deinceps similia videndi non reditura audivit, &c. Secundò, fraudare statuit genium abstinendo à cibo delicatiori, gulam priùs irritet percepto quasi nidore illius, salubritate inde sperata, vel infirmitate stomachi, quam timet ex jejunio. Tertiò, danda venia inimico est, vel illi officium charitatis exhibendum, objiciat animo gravitatem injuriæ, vel damni illati, vilitatem personæ offendentis, dignitatem propriam,

priam,

priam, beneficia inimico ante collata. Quartò, opus ex obedientia obeundum contemptibile, laboriosum, genio suo contrarium, bene consideret sermones hominum, insultationes æmulorum, tædia consecutura, molestias, quæ timentur &c.

88. Duo hîc diligenter cavenda. Primum, industriam hanc bene in virtute proficientium & magis perfectorum esse, non suaderi tyronibus, incipientibus, aut tepidis, quibus tanta lucta cum passionibus suis hactenus indomitis periculosa sanè foret, & magis inde timenda clades, quàm speranda victoria. Alterum nemini omninò id suadendum in materia lubrica, & carnis certamine, in quo nulli virtuti etiam robustissimæ fidendum est, & in sola fuga certa victoria. Idem dicendum de passione animi simili hactenus indomita, ut antipathia cum homine particulari, vel dolor ex speciali injuria, quæ alicui intolerabilis.

Industria XXVII.

Serviendum DEO gratis.

89. GRatis servire DEO tanta res est, ut nesciam, an sit alia sublimior. Nota est viris verè spiritualibus, sed tam rara, ut Thom. Kemp. ausus sit conqueri: *Ubi invenitur talis, qui velit DEO servire*

vire gratis? Et diabolus in S. Job nihil, quod culpet, deprehendere potuerit præter id: *Nunquid Job frustra timet DEUM.* Job. 1. Gratis autem servire DEO, est servire sine ullo respectu ad meritum sive gratiæ, sive gloriæ, amare amoris actu ab omni amore concupiscentiæ defæcato, ut cum Bern. dicere amans possit: *Causa diligendi DEUM, DEUS est; modus sine modo diligere:* & illud: *amo, quia amo, & amo, ut amem: causa mihi amoris amor, præmium amoris, amor.*

90. Hoc spiritu succensus vir spiritualis inter omnia virtutum exercitia hoc firmum habeat, statuat, inviolabiliter teneat, ac coram DEO suo protestetur, quod huic soli gratis servire velit per omnem vitam suam, quòd per omnes actiones, perpessionesque suas non intendat ullum bonum à DEO impetrandum aliud, quàm ipsum solum DEUM: non ullum proprium meritum: aut si aliquod intendit, quòd hoc ipsum non intendat, quia, & quatenus est meritum, sibíque proficuum, sed quia DEUS sic statuit, ut mereatur, vel ut propter meritum operetur: adeóque propter solum DEI placitum, & gustum.

91. Mirum tamen alicui videri posset, quod ejusmodi voluntas inter industrias spiritualis negotiationis reponatur. Quomodo enim aliquis lucrum spirituale quærat, qui in omni actione sua omne prorsus meritum, & præ-

præmium excludit? ſed hoc ſinceræ etiam, & minimè fucatæ intentioni gratis DEO ſerviendi minimè obſtat: aliud eſt ſperare, & accipere pro opere bono præmium, aliud, illud intendere. Verus amans operatur, non ut acquirat præmium, ſed ideo tantùm, ut gratis ſerviendo puriùs ſolius DEI guſtum, & beneplacitum expleat. Interim ſperat augmentum gloriæ, quia ſcit, nunquam ſine mercede diligi DEUM: imò tantò majorem illam fore, quo minus amore in DEUM intenditur. Hinc optimè D. Aug. *non eſt ad præmium diligendus DEUS. Colis non gratis, ſi colis, ut aliquid ab eo accipias. Gratis cole, & ipſum accipies. Et quod dulcius à DEO præmium, quàm ipſe DEUS?* Praxis eſſe poteſt.

92. *Domine DEUS meus, quidquid facio, quidquid patior, quidquid faciam, patiárve unquam, quocunque modo, totum puro, nudo, gratuito amori tuo conſecro. Non meritum cupio, ſed tuum guſtum intendo. Ipſum meritum, quod conſequor, tuo guſtui conſecro. Ipſum, quod mereri non intendo, aut quod tuo guſtui conſecro, non propter majus meum meritum, ſed propter plenius, ſuaviúsque tuum placitum tibi digniſſimo DEO ſemel pro ſemper conſecro, & tibi non absque ſpe gratis, purè, ac nudè ſervio, ſerviréque in æternum volo. Sufficit*

mihi,

mihi, placuisse tibi, non tamen, quia placuisse tibi bonum mihi, sed quia gratum, ac placitum tibi. Amo te, quia mihi places, ut tibi placeam, ut mihi placeas, non quia id bonum mihi, sed quia id debitum tibi, quia dignum te, quia bonum, & gratum, & placitum tibi. denique, ut sit bonum, gratum, gustabile, placitúmque tibi.

Industria XXVIII.

Verbis, quæ orando, aut his industriis utendo recitamus, affectus formalis, & vivax addendus.

93. IN manibus plerorumque sunt præclaræ orationis formulæ: Sacerdotes quotidie ex psalterio recitant sublimissimas normas DEUM benedicendi, magnificandi, diligendi, timendi, quas ipse Divinus Spiritus dictavit. Emanant ubique libelli precatorii referti actibus contritionis ante confessionem eliciendæ, spei, fidei, desiderii ante S. Communionem, resignationis inter adversa, charitatis ad DEUM Eucharisticum, devotionis erga Dominam, ac Patronam nostram, cæterósque propitios nobis Cœlites &c. recitamus, repetimus sæpè, & tamen in spiritu non pinguescimus, & in devotione parum proficimus, nec eum, quem precandi formulæ intendunt, fructum, aut meritum referimus; multò minus vivendi tenore exprimimus.

94. Sæpiſſimè deeſt attentio, & orantes cum DEO linguam, quam loquimur, ùt ajunt, ipſi non intelligimus. Ejusmodi evagationes animi, ſi ſint voluntariæ, utique ſperatum fructum multùm imminuunt, ſi verò præter deliberationem; inutilem quidem orationem non faciunt ad aliquid impetrandum, finem tamen, ad quem precum forma concepta eſt, minimè illa obtinet. Sed de ſola attentione interna inter orandum non laborat præſens induſtria: illud queritur, quòd multi imò plurimi verbis, quæ recitant, veros & formales animi affectus non conjungant. Quoties enim ſacrificantes fidei Nycenæ ſymbolum recitant, etiam attenti, fidei tamen actum non eliciunt. Quot recitant *miſerere* absque attritione. Quoties in breviario invitamus creaturas ad laudandum DEUM, nec ipſi quidem laudibus ejus intenti: quoties dicimus: *O DEUS ego amo te* ſine actu puræ charitatis, quoties in oratione Dominica: *fiat voluntas tua* absque plena reſignatione in Divinam voluntatem, & ſic de aliis. Hæc ergo praxis deberet omnibus eſſe commendatiſſima, ut non ſolùm oremus attenti, ſed etiam, ùt dictum, illud animus affectu ſuo comitetur, quod loquitur lingua: præſertim dum præſentium induſtriarum formas recitamus.

95. Proderit ad hoc primò, ut animus ante orationem vocalem noverit ejus ſenſum, præmeditetur finem, ad quem recitatur, affectus, quos

quos intendit. Secundò, si festinationem in orando fugimus, neque intra tam arcti temporis limites orationem concludimus, intra quos ritè absolvi non potest. Præstat sanè pauca cum omnimoda attentione, & expressis affectibus dicere, quàm longas sine devotione, & affectu orationes. Tertiò, præstat interdum preces familiares non ex memoria dicere, sed potiùs ex libello: vel etiam vicissim actus virtutum exprimere solo animo, non efformare linguâ, si ex consuetudine nimia minor adverteretur ad eas attentio. Nemini tamen suadetur in his nimia intensio, defatigatio animi, scrupuli, & anxietas animi, aut putida mora in orando, vel dicendis horis canonicis. Ubique laudatur discretio, etiam in ipsa diligentia, etiam in ipsa devotione.

Industria XXIX.

Assignatum cuilibet actioni tempus tribuendum integrè secundùm ejus exigentiam.

96. IN debito tempore cuique actioni dando præsens versatur industria quasi quintuplex; & tum ex fervore, tum superati tædii in arduis, aùt nimiæ inclinationis ad delectabilia opera victoriâ multiplicatum meritum sibi conciliare docet.

97. Prima vult, ut ea, quæ agenda sunt, vel ex obedientia ratione officii, fraternæ chari-

tatis studio, vel etiam spontanea determinatione ipso præscripti temporis momento incipiamus, quocunque alio negotio, aut occupatione etiam imperfectâ litterâ relictâ. Docuit id Christus Dominus verbo, & exemplo, dum etiam opus prædicationis ante tempus auspicari noluit, aut per prodigia Divinitatem suam manifestare. *Nondum venit hora mea. Joan. 2. Tempus meum nondum advenit. Joan. 7.* & mandat servis, ut, *quacunque hora Dominus revertatur* (nos ad obsequia sua vocaturus) *confestim aperiant ei.* Luc. 12.

98. Intelligendum hoc est, ne in laudabilibus seriùs incipiamus, quàm definitum est: nam secunda industria docet, agendum esse anticipatò quandoque, hoc est, non semper expectandum tempus præscriptum, sed ante signum datum inchoanda opera, præsertim, quæ communicationem cum DEO proximíque charitatem spectant, quæque cum labore, molestiâ, aut tædio conjuncta sunt. *Præveni in maturitate, & clamavi,* ait Psaltes Regius. *Psal.* 118. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo.* Et certè, qui citò dat, bis dat, & solutio anticipata semper gratissima est, provocátque creditorem, ut deinceps in mutuis dandis vel aliis contractibus sit liberalior. *Hilarem datorem diligit DEUS. 2. Cor. 9. & vir in opere suo velox etiam coram Regibus ministrabit. Prov. 22.* fidelitatem manifestat hæc anticipatio, fervorem, charitatem, obedien-

dientiam, diſciplinæ, & vitæ communis obſervantiam &c. ut adeò DEO non poſſit non eſſe gratiſſima, ſummíque momenti.

99. Tertia ſuadet agere cum prolongatione, & protractione temporis præfixi, ita ut non tantùm nihil detrahatur de tempore, neque etiam ſtatim in ultimo ejus puncto ceſſetur, ſed etiam aliquantulùm actio protrahatur, niſi abrumpendam obedientia, vel alia ratio dictet. Imitabimur ea praxi multos Sanctorum, qui inde multùm laudantur, quòd in oratione, & operibus charitatis fuerint primi, & etiam ultimi. Dabimus ſic Domino noſtro menſuram operum noſtrorum non tantùm plenam, ſed etiam confertam, & coagitatam, & ſuper effluentem: haud dubiè centuplicato fœnore nobis remetiendam.

100. Juxta quartam, aliter agendum in actionibus & objectis delectabilibus, ſenſualibus, nobis honorificis, inordinatè afficientibus, ùt in ſumptione cibi, & potûs, recreationibus, ſpectaculis feſtivis, lectione novorum, narratione rei cum noſtra commendatione conjunctæ &c. in his enim ſuſcipiendis feſtinatio non laudatur, ſed mora, dilatio, repugnantia, niſi faſtidioſa ſit, affectata, refractaria obedientiæ, aut in damnum tertii. Sic ipſe Chriſtus rapiendus ad regnum fugit, qui rapiendus poſtea ad crucem ſponte obviam proceſſit adverſariis.

101. In iiſdem actionibus delectabilibus,

aut honorificis quintò præſcribitur, ut non tantùm ultra præfixum tempus non continuentur, ſed potiùs ante illius finem abrumpantur, aut certè is ægrè exſpectetur. Fundamentum totius hujus induſtriæ eſt, quòd, ùt ſæpè dictum, ex devictis concupiſcentiis noſtris, amoréque proprio ſubjugato, Divina gloria ingens incrementum capiat, nos meritorum cumulum: cùm igitur ab iis, quæ moleſta ſunt, ardua, vilia, ſpiritualia, abhorreſcat voluntas propria, econtra feſtinet ad mollia, grata, honorifica, ſenſualia: ſiquis ad priora anhelet, tempus anticipet, prolonget: à poſterioribus autem refugiat tardando, abrumpendo, glorioſus ſui Victor ingentia meritorum ſpolia reportabit.

Induſtria XXX.

Subſtituendum ſignum ad placitum electum pro multis actibus.

102. UT homo homini ſenſus internos communicat, ita cum ſuprema Majeſtate agere ſalutis noſtræ negotium, & ſpiritualem negotiationem poſſumus non ſine ingenti Divinæ liberalitatis commendatione, magno laboris compendio, maximo meritorum lucro. Collocuturi invicem, aut transacturi ſigna adhibemus ex libero placito; ſic ad exprimendas cognitiones vocibus utimur ex inſtitutione hominum receptis, ad indi-

indicandos numeros ciffris, ad oſtendendum vinum vendibile hederâ &c. & quidem modico ſæpè ſigno ingentem rem, ùt pauculis litteris integrum exercitum, pauculis numeris millionem, picto annulo totam æternitatem.

103. Suprà jam dictum eſt, eam eſſe voluntatis humanæ naturam, ac fæcunditatem, ut tantùm poſſit, quantùm ſibi imperet, & tanta ſit, quanta ſeriò eſſe velit. Igitur anima ſicut in humano commercio, ita etiam actura cum Creatore ſuo, poterit volendo non tantùm unum actum ſubſtituere pro plurimis aliis, ùt ſupra oſtenſum, ſed etiam efficere, ut ſignum aliquod liberè à ſe electum coram oculis Divinis valeat pro re, & opere interno vel externo: conveniendo & quaſi paciſcendo cum benigniſſimo Numine, ut quoties anima hoc vel illud ſignum poſuerit, DEUS acceptare dignetur pro hoc, vel illo virtutis actu, etiam ad determinationem voluntatis immensùm quantùm multiplicato.

104. Exemplis res fiet clarior. Profunda genuflexio, reverentiæ, & adorationis ſignum eſt. hæc perpetua eſſe non poteſt, nec fieri quovis tempore, loco, actione. ſubſtituat igitur homo ſuos, dum ambulat, paſſus, vel verba, dum loquitur, digitos, quos movet, velítque per pactum cum DEO toties demiſſiſſimam adorationem exhibere Divinæ Majeſtati, quot paſſus fecerit, pronuntiârit verba, moverit

digitum, nec inferiorem per hæc, quàm repetitas genu flexiones mercedem ſperet.

105. Pariter recitans horas canonicas, vel roſarium, cùm ob attentionem, quam impendit verborum ſenſui vel Myſterio, non poſſit, ùt optaret, in continuas Divinas laudes, vel gratiarum actionem affectu ſuo erumpere, eundem fere effectum habebit, ſi initio orationis DEO offerat, quæcunque pronuntiaverit verba in glorificationem Creatoris, & laudes eucharíſticas, cupiátque toties laudare, quoties labia inter orandum moverit. Idemde actu doloris ſuper peccata intelligendum, dum actum externæ mortificationis exercuerit, de actu zeli & charitatis proximi, dum concioni parandæ vel dicendæ vacaverit. Sic denique, ut cum Seraphinis inter continuos Divini amoris æſtus laudésque Creatori ac Servatori debitos vitam omnem tranſigamus, poterit quis tali pacto quotidie renovato SS. Trinitati ſe obſtringere.

106. *O SS. Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus Sancte! O ſummum, & unicum bonum meum! cupio te amare, & laudare, non quantum mereris, ſed quantum à paupercula creatura tua laudari & amari potes, ídque omni momento, ſine intermiſſione, in æternum, ſicut Angeli, & Sancti à tua laude, & amore nunquam ceſſant. Quotiescunque igitur aut cor in pectore, aut oculus in fronte, aut vena*

in corpore meo diu noctúque ad finem usque vitæ meæ movebitur, toties volo te cum Seraphinis, & omnibus creaturis tuis laudare & amare ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis. Hæc eſt voluntas mea, hoc firmum animi propoſitum, unicum deſiderium meum. Tua miſericordia, & Bonitas infinita dignetur hanc voluntatem velut pium aliquod pactum clementiſſimè ratihabere, & quemvis arteriæ pulſum, nutum oculi, reſpirationem omnem pro intenſiſſimo laudis, & amoris actu ſuſcipere.

AMEN.

O. A. M. D. G.



INDEX

INDEX
Industriarum.

Indu-

Ind.

F I N I S.